



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCLXIV. Heinrich päpstlicher Legat schreibt an den Bischof von Brandenburg und die Pröpste zu Brandenburg und Leitzkau wegen eines Geldbetrages zur päpstlichen Cammer, am 4. Dez. 1359.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

leopus literas in papyro conscriptas sigillo rubro rotundo Ludovici Romani, marchionis Brandenburgensis tergo tenus affixo sigillatas, domino Alberto de Thumen, plebano nove civitatis Brandenburgensis visas et lectas, exhibuit nullas alias, quam presentionis literas ipso die beati Andree apostoli proximo preterito, se afferens interrogatus recepisse pro parte dicti plebani nove civitatis Brandenburgensis super verbo scilicet Presentamus in dictis literis contento et super dato eorundem mentio facta fuerat de jure ipsius plebani protestando. Quarum literarum per me, notarium subscriptum, in formam publicam redigendarum tenor talis est: Precedente salutatione amicabile et sincera, jam dudum vacante quodam altari per mortem magistri Pauli bone memorie, sito in ecclesia parochiali civitatis nove Brandenburg et in honorem beate Catherine et Nicolai consecrato, cujus patronatus ad nos spectare dignoscitur, discretum virum, Conradum Mildenhower, capellanum nostrum dilectum, reverentie vestre presentamus affectuose rogantes, quatenus eidem ejusdem altaris accessum conferatis, administrationem jurium spiritualium et temporalium altaris supradicti committendo, in quo nobis benevolentiam et amicitiam exhibeatis specialem, voluntatem vestram de premissis nobis rescribentes. Datum in antiqua Berlin, anno domini MCCCLIX. die beati Andree. Acta sunt hec anno, die mense, hora, indictione, pontificatu et loco quibus supra, presentibus discretis viris, dominis: Hinrico, officiali curie Brandenburgensis, Thiderico, plebano in Wottermarke, et Petro dicto Garnekoper, altaris in nova Brandenburg, testibus ad premissa specialiter requisitis.

Et ego Christianus de Nienborch, clericus ejusdem ecclesie, publicus imperiali auctoritate notarius, datarum literarum exhibitioni, protestationi aliisque omnibus predictis una cum prenominationis testibus interfui, dictas literas et sigillum affixum legi, vidi et perspexi, eas transcribendas in hanc formam publicam redigendo rogatus.

Nach einer Copie im ältern Copiarie.

CCLXIV. Heinrich päpstlicher Legat schreibt an den Bischof von Brandenburg und die Präpöste zu Brandenburg und Leitzkau wegen eines Geldbeitrages zur päpstlichen Cammer, am 4. Dez. 1359.

Hinricus, dei gratia episcopus Rossenensis, per reverendum in Christo patrem ac dominum, dominum Philippum miseratione divina Cavallicensem episcopum, apostolice sedis nuncium auctoritate domini nostri pape ad provinciam Magdeburg. destinatus, reverendo in Christo patri ac domino, domino Brandenburgensi episcopo nec non honorabilibus viris dominis in Brandenburg et Lizke prepositis ad exigendum et colligendum procuraciones biennales impositas per dictum dominum Philippum episcopum deputatis salutem in domino. Ut singulis et omnibus, qui solverunt primam procuracionem biennem per sedem apostolicam impositam sub termino per vos assignato vel ante instans festum purificationis beate Marie virginis adhuc persolverent terminum secunde procuracionis persolvende, ne clerus gravetur continuare et prorogare usque ad festum assumptionis beate Marie virginis exclusive proxime affuturum, possitis auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa, de qua nuper apud vos in castro Seyeser constituti fidem vobis fecimus sufficientem, confidemus per presentes. Et si per aliquas literas vestras alias videamur auctoritate apostolica in hac parte nobis commissa, detrahere, videlicet quod nos instans festum purificationis beate Marie virginis predictum singulos non solventes pro absolute, dispensatione remittere et destinare mandavimus et mandamus,

hoc tamen, quia ad terrorem fecimus et facimus, non obstante, salva vobis sit eadem et omnis alia potestas et autoritas apostolica vobis per dictum dominum Cavallicen. in hac parte commissa et concessa. Unde et agatis cum diligentia et fidelitate ob negotium apostolicum, ut domino nostro pape per dominum Cavallicen. possitis aliquando commendari et ejus indignationem evitare. Datum Magdeburg, anno domini M. CCC. LIX. quarta die mensis Decembris, nostro sub secreto huic litere tergotenus appresso.

Nach einer Copie im ältern Copiaro.

CCLXV. Der Bischof Dietrich vereinigt die Kirchen in den Dörfern Knobloch und Ezzin, am 19. Febr. 1360.

Nos Thidericus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus. Quoniam parochiales ecclesie villarum Cnobelock et Ezzin hactenus divise populo, redditibus et agricultura adeo sunt desitute et deserte, quod quelibet per se commode ad sustentationem suo singulari non sufficit plebano seu rectori, propter quod Cnobelock jam diu rectore caruit, et ultimus in Ezzin plebanus resignavit, ut ergo unite earum fructus uni sufficiant, que divise duobus sufficere non valebant, ad instantiam honorabilis viri domini Thiderici, prepositi et sui capituli in Brandenburg, ad quos provisio spectat earundem, auctoritate ordinaria eas conjungimus et unimus per presentes, Cnobelock matrem et Ezzin filiam decernendo, sic quod ambarum tanquam unius cure plebis et ecclesie unus amodo sit rector et plebanus jure nostro et jam dictorum prepositi et capituli hinc inde in omnibus integro atque salvo. Datum Seyeser, anno domini M^o. CCC^o. sexagesimo, ipso die cynerum, nostro sub secreto presentibus appenso in testimonium premissorum.

Nach einer Copie im ältern Copiaro.

CCLXVI. Das Domcapitel verkauft sein Haus in Magdeburg, am 2. Febr. 1361.

Ego Magister Bartoldus de Helmstede, plebanus in magna Rodensleve, presentibus recognosco, me emisse curiam dominorum prepositi et capituli ecclesie Brandenburgensis, quam habent in Magdeburg juxta continentiam literarum suarum, quarum tenor sub meo sigillo sequitur in hec verba: Nos Thidericus, dei gratia prepositus et capitulum ecclesie Brandenburgensis, attendentes, quod curia nostra in Magdeburg sita prope eam curiam, in qua capelle beati Georgii martyris dinoscitur constituta, propter nostram minus continuam inhabitationem in libertatis et juris sui defensione ac edificiorum nunc in ea existentium collapsione nulla que novorum edificiorum superedificatione posset graviter deperire, habita super hec deliberatione diligenti, eandem curiam provido viro magistro Bartoldo de Helmstede, nunc in magna Radensleve plebano, de cujus legalitate plenam in domino gerimus confidentiam, quod eam in singulis prescriptis debeat utiliter et laudabiliter gubernare, sicut de his nobis preposito et quibusdam aliis de nostris se asseruit et exhibuit benevole effecturum, pro quindecim marcis Brandenburgensi argenti, nobis per ipsum solutis et

Hauptst. I. Bd. VIII.

36